



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

31. Dies Januarii. Sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore. S. Bern. serm. ad Scholares.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Januar.

Tessera.

83

summâ vi præcipitat, ut labem eluat. In altero se-  
culo minima culpa punierur gravius, quàm hic ma-  
xima, quæ fingi potest, pœna. Cave igitur, enimverò

*Ante Dei vultum, nil unquam restat inultum.*

### 31. DIES JANVARII.

Sicut capillus de capite, sic nec momen-  
tum peribit de tempore. *S. Bern. serm.  
ad Scholares.*

I. **E**Cce hic hujus anni mensis primus ordi-  
ne, tibi fors ultimus tempore, evanuit, &  
cum eo dies salutis 31. præterierunt. Se-  
quuntur alii, ut hi, præterituri. Itaque  
sta paulisper in hujus mensis, quam premis, metâ, &  
de tempore labili, si tempus suppetit, hæc pauca a-  
nimo recole. In hoc 31. dierum tempore, quot  
fuerunt momenta, quorum quodlibet summi est  
momenti. Non peribit vel unicum momentum  
de hoc tempore, sicut nec capillus de capite. Quia  
pro quolibet expectandum est, si benè, præ-  
mium, si malè exegeris, supplicium. Deus ergò,  
sicut numerat omnes capillos capitis, sic & mo-  
menta temporis. Nero extremam cum insaniret in-  
saniam, tam fuit in amanda Popæa amens, ut singu-  
los capitis ejus capillos numeraret, imò singulis  
nomina imponeret, quibus eos compellaret, &  
de iis canticum componeret. Pectinem quoque au-  
reum, quo capillos explicaret, comparavit, & si fortè  
capillus de capite caderet, mox eum Nero auro in-  
clusum Junoni consecrabat. Hæc fuit vecordis ho-  
minis ridenda dicam insania, an deffenda protervia?

II. Illud in confesso est, majorem Deo esse curam de singulis singulorum hominum, uti capillis, ita & temporis quo vivunt momentis. Quæ tibi de illis est cura? Quodlibet momentum te ducit ad interminatum Æternitatis spatium. Momentum ultimum, quo corpus iacerit, omnibus oblectamentis hominem spoliat: quid ergò faciet illo momento perpetuitas Animæ morientis? Æquat mors, lætum aut triste sit, quidquid est in vivis inæquale, nec magis ignus ille Stylites Simeor de 80. nec Romualdus de centum annorum asperitate durissima, plus aliquando sensere morientes, quam si Sardanapali semper, aut Heliogabali vixissent; verum illius tantum æterni fructus retulerunt. Opta, sis Christiane, utrum mavis: æquè fugit voluptas fluxa peccantium, ac labor sanctus pœnitentium: manent æterna, ut illos quæ peccando supplicia, sic hos, quæ dolendo sibi compararunt præmia. Age nunc, statue num præstet pœnitentiæ momento levissimo, æternæ gloriæ pondus occupare; an puncto voluptatulae fugientis, æternis incendiis auctorari?

III. Nec te vitæ hujus prolixitas terreat. Fingamus tibi centum vitæ annos à Deo indultos, & interim oppignorum tibi cœlesti promisso annum centesimum, sed hac lege, ut in ejus ævi sustentationem nihil sis habiturus, nisi quod horæ unius spatium ex apertis potentissimi Principis expromptum thesauris sepositurus sis. Fingamus, si mavis, unam diei vinitus tibi horam concedi, postquam item divinitus noveris, mundum, & te cum illo, periturum: horam illam te quæso, quàm avarè, & ardenter, quàm cupiditate insumpseris? Et torpemus cæci, & inertes

Januar.

Tessera.

85

& salutis nostræ sempiternæ non solum negligentēs, sed hostes capitalissimi, torpemus in nostra meliori causa, nihil in tota mensuri æternitate, nisi cujus brevi nunc vitæ hora sementem fecerimus? Evigilemus tandem, & aliquid sobrii consilii ineamus. Si nobis centenariō labore milliestantum lætitiæ ac delitiarum deferatur, magna profectò & quæstuosissima gratiâ præstetur. Unius horæ patientiâ cum æternitas omnis suis exundans gaudiis defertur, qua mente nos esse necesse est, quàm diligenter, & avidè horâ illâ uti, vitæ scilicet hujus brevitate. Planè, siquidem ait D. Augustinus: *Pro æternæ requiæ, labor æternus subeundus esset, & æternam felicitatem accepturus æternas passiones sustinere deberet.* Quantò magis delectationes horrere noxias, ac momentaneas, æterno nihilominus cruciatui nobis futuras. Si quod est damnum, quod deberet nobis extorquere ex oculis lachrymas, è pectore suspiria, ex ore lamenta, deberet esse damnum temporis. Dicergò cum Poëta.

*Damna fleor erum, sed plus fleo damna dierum:*

*Quisquis potest rebus succurrere, nemo diebus.*

## I. DIES FEBRUARII.

Dignior sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus. *August. Epist.*

121.

Novus mensis, novo inchoandas fervore.

**E**Cce hic secundi mensis diem primum, qui ut animo tuo sit secundus, debet tibi esse cura prima. Ut hujus mensis tempore utaris cum fœnore, multum conduceet, si præcedat

F 3

cedat